


19.6.6.

I. N. J.
DISPUTATIO POLITICA
de
SUBDITIS,
quam
PRÆSIDE
Dn. MICHAELE WENDELERO,
SS. Theologiæ Licent. Practicæ Philosophiæ
Professore Publico, ac p. t. Academiæ
Rectore,
Domino, Patrono! ac Promotore suo æviternum
obſervando,
publicæ politice cultorum disquisitioni
submitit
ZACHARIAS SCHARNOVILIUS
Jütreboeensis Saxo,
ad diem Octobr.
In Auditorio majori.

WITTENBERGÆ,
Stanno
JOHANNIS RÖHNERI, ACAD. TYPGRAPH.
ANNO CIC L.

a. CXXXI. 54.

Coll. diss. A
131, 54



617

In Nomine JESU.

DISPUTATIO POLITICA

de Subditis.

I.

Vi in nobilissimo civilis Prudentiæ theatro ita versantur, ut inten-
tum habeant oculum defixumq; in eos,
qui ad clavum Reip. sedent, laudem
merent equidem, sed non omnem.
Concedit siquidem Respubl. gubernatoribus suis po-
testatem, sed in subjectam multitudinem. Nisi ergò &
hujus perspectam cognitamq; habeas indolem, frustà
de politicā scientiā gloriaberis. Ut taceam, ita compara-
tum esse cum hac parentium animorum cognitione, ut
vel solà hac juvemur multùm & in ipsa administratione
rerum, & in dandis salubriter consiliis, seu præceptis, ad
feliores conatum publicorum successus. Non sine
periculo immittit se equo insessor, cuius naturam non
exploravit antè. Idem de plebe affirmandum est, quæ
& recalcitrat sàpè & ferocit insolenter admodum. Id
non vereor affirmare, inde non frustra fore has operas
nostras, quas de subditorum proponendà indole subire
hac vice placuit. Quibus ut benedicat ex alto cœlorum
Dominus, oramus devotè.

2. Antequam autem ad genuinam subjectionis
veræ indagationem descendamus, de origine pauca de-

A 2

liba-

fbabimus. Ascribimus autem naturæ. Hæc enim uti
cum vitali statim aurà quibusdam purpuram donat &
ascens, h. e. ad imperium aptos producit: ita & eos in
lucem hanc sistit, qui submittant se se terrenis istis Diis
& parendi gloriam sibi solam habeant relictam, in eaq;
suaviter acquiescant. Non affectat in celum viam vilis
Macca, & quem

non pudet in morem distincti vivere naccæ.
Eruges consumunt, quibus sunt nati, & genitali glebæ
adhærent.

3. Non inficiamur, sæpè turbari hunc naturæ or-
dinem, & admitti Sardanapalum, qui rectius colum tra-
ctaret, quam Rempubl., studiosior gulæ, quam publicæ
salutis. Ratum tamen habemus legitimumq; pronun-
ciamus illud in alios jus, quod quis vel successionis lege,
vel eligentium suffragiis, vel justâ occupatione, & si qui
alii dari possunt ad magistratum perveniendi modi, sibi
vindicavit semel.

4. Accedunt Homagii, vel Panagii, ut alii vocant,
solennia, quibus & certus redditur Magistratus de suo
rum fide, & subditis in memoriam revocantur, quæ of-
ficii suadet ratio. Licet enim sine juramento obliga-
tio intercedat ex promisso; major tamen videtur esse au-
toritas juramenti: cùm metu pœnæ sæpè dediscant pec-
care homines. Præstatur hoc homagium toties, quoties
mutantur Imperantes noviq; constituuntur, vel in ipso
regiminis initio statim, vel post aliquot demum annos.

5. His modis ergo qui alterius potestati subjiciuntur,
subditi nobisunt, obedientiamq; debent quoad omnia,
quæ ad habente illam potestatem imperantur; nisi viole-
tur istis mandatis gloria Dei, quæ sola illam obligationē
quæ inter Magistratum & subditum intercedit, tollit.

6. Qu

618.

6. Quæ uti ad essentiam Subditi describendam faciunt, ita ut rectius intelligantur, duo uberioris explicanda, nobis suppeditant. Quorum prius expeditum erit, si dixerimus, quinam in classem eorum collocandi veniant: Alterum, quæ ad objecta mandatorum Regionum, vel Principalium, referenda sint.

7. In subditorum classem autem referimus omnes, qui in Republ non participant de Majestatis iuribus, sive Laici vocentur illi, sive Ecclesiastici.

8. De his Pontificii aliter sentiunt, & nescio quam affingunt Clericis subjectionis immunitatem. In quâ sententiâ defendendâ, uti omnes desudant strenuè; ita de fundamento, quo probent rem, non consentiunt. Allegant alii divinum jus, humanum alii, utriq; pari successu, id est, nullo. Quomodo enim per se citare sacras literas possint? quæ potestatibus supereminentibus omnem subjiciunt animam. Aut ergo necesse est non collocandos in hominum classem (per animam enim intelligi homines ex frequenti scripturæ usu probatum jam dudum est) Clericos esse, quod neq; ipsi volunt; aut, si collocandi sunt, non alio, nisi inter parentes loco ponendos. Hinc rectè in hunc locum Chrysostomus: Ostendit Apostolus, quod ista imperentur omnibus & sacerdotibus & Monachis, non solum secularibus. Id quod statim in ipso exordio declarat, cum dicit: Omnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit, etiam si apostolus sis, sive Evangelista, sive Prophetæ, sive quisquis tandem fueris. Neḡ enim pietatem subvertit ista subiectio.

9. Exempla utriusq; fœderis repugnant adversæ sententiæ sectatoribus pari modo. Sapientissimus Regum Salomo Abjatharem ab officio removit testatusq;

A 3

ad eo

adeò imperium est, quod & in Pontificem haberet.
Qualia & Josaphati & Iosuæ exemplis demonstrari pos-
sent. Idem ex Salvatoris & Apostoli vitâ atq; exemplis
haurire liceret istis, nisi ex fastu hoc spernere & pontifi-
cis autoritati plus tribuere velint. Hujus enim adeò
jactant decreta & pro causâ suâ cumulant, ut nec obsta-
re potent, quæcunq; etiam à veritatis Doctore dicantur.
Quam firmum autem hoc pro stabiliendâ re fulcrum
sit, judicare facile poterunt, quibus veritatis major est
amor. Dicimus proin, subjectos esse omnino in poli-
ticas negotiis & iis, qnæ interiorem cultus religiosi for-
mam haud attingunt, Clericos, exemptionisq; benefi-
cio nou gaudere, nisi peculiari privilegio ab eo, qui po-
testatem hanc habet, hoc illis concessum sit.

10. Ex ista subjectionis lege præstare & homagium
tenantur Ecclesiasticæ personæ, si id exigat Magistratus
sicut Argentorati iste & hodie mos obtinet. Quod v.
alibi id ab istis non exigatur, fit propter fidem, quam
habet ille, et si non jurent semper. Non dubitandum
enim facile de fide eorum in civilibus negotiis est, quo-
rum fidei universæ civitatis animæ committuntur.

11. Ad objecta mandatorum progredimur nunc,
eorumq; discrimen ponimus hinc loci, cùm ad deciden-
das plurimas controversias multum faciat. Sunt au-
tem vel civilia illa & temporalia, vel spiritualia.

12. De civilibus primum. Dicimus ergo quod in
his obedientiam debeat omnino subditus. Quisquis
enim alterum Magistratum suum cognoscit ac vere-
tur, necesse habet etiam agnoscere illam obligationem,
quam leges à Magistratu latæ habent in subditos. Hu-
jus enim tenore ac vi præstandus Magistratui est *i. honor ac reverentia*. Ita nempe in societatibus primis
id

69.

id jam valet, ubi honorandus certè est, qui aut patris
gerit officium, aut heri. Quomodo id non obtineret,
in Republ.? ubi & Domini omnino sunt Magistratus &
patriæ universæ Patres: ubi imaginem Dei ipsius ge-
stant, cui vicariam quasi locant operam. Quod quanti
& apud gentiles æstimatum fuerit, vel iis constare po-
stare potest, quæ apud Stobœum quidam disserit:
In terris, ait, quidem homo optimam sortitus est naturam;
at inter homines Rex divinior est, multumq; naturam com-
munem supereminet: corpore quidem reliquis non absimi-
lis, ex eadem quippe materiâ factus; ab optimo autem ar-
tifice fabricatus, qui formavit ipsum, architypo ex se sumto.
Hinc & apud Æthiopes & Persas totumq; Orientem &
Dii nominati Principes sunt, & *sacra* ac *divina* appellata
quicquid ad ipsos pertinet, aut ab ipsis proveniret.
Vnicum, antequam hinc abeas, ascribam Brissonii lo-
cum ex ejus de Persico regno commentario, ubi post
pr. l. i. exactè: *Quin in hanc usq; diem Persarum Rex pro*
DEO colitur à suis, appellaturq; Dominus, qui cælum ac ter-
ram fuliat, sustineatq;: Et aqua, quâ ille pedes abluit, reli-
giose, cui res sacra ac salutare morborum omnium medica-
mentum asserbatur.

13. Obligamus 2. ad vota & preces. Qui enim
pro salute nostrâ vigilant, iis omnino precandum, ut
& ipso vivant commode, & diu fungantur concessâ po-
testate. Bene ubi ipsis est, à quorum salute & nostra
pendet, bona omnia in Republ. speranda. Nec cessat o-
bligatio isthæc, ubi aut infidelis aut impius est Magistra-
tus. Non erant optimi illi, quibus & Servator noster &
sanctissimi ejus Apostoli & honorem & obsequium de-
bitum ascribunt. Quare nec spernenda prorsus illius a-
nicalæ (cujus Valerius mentionem facit) responsio est;
cum

cum enim prosalute Dionysii, cuius interitum omnes
alii avidis votis expetebant, cottidiè vota faceret, ac
cur id contra totius civitatis ficeret vota interrogata, re-
spondit: ne si hic absuntus fuerit, deterior in ejus locum suc-
cedat. Bonis enim sepe mali, raro meliores succedunt.

14. Et tandem 3. debemus obedientiam, quæ, co-
gnitâ imperantium voluntate, solliciti simus, quomodo
facere eidem satis, & ita implere munera nostri partes
queamus. Spectat huc solutio tributorum, pecunia-
rumq; quæ ad stipendia Ecclesiæ scholarumq; ministris,
consiliariis item aulicisq; & iis, qui pro patriâ pugnant
solvenda, ad ædificia publica extruenda & reparanda; ad
vias publicas sternendas, ad pauperum sustentationem &
alia Reip. negotia destinanda, exiguitur. Hæc enim omnia
uti ad provehendum bonum publicum spectant, ita ero-
ganda rectè ab iis veniunt, qui publico bono omnes opes
suas, quin & sanguinem vitamq; ipsam debent. Unde
rectè Agrippa apud Livium: *Quemadmodum totum cor-*
pus alimentis ventriculo denegatis ad tabem redigi necesse
est: ita tributis Magistratui denegatis extrema Reipubl. per-
nicies dependet. Nec quies gentium sine armis, nec arma
sine stipendiis, nec stipendia sine tributis haberi possunt, in-
quit Tacit. lib. 4. hist. 15. Circa quam pecuniæ erogati-
onem licet magistratus moderationi studere debeat, ne
occasione saltem rebellioni alicui det; nullo tamen
jure resistere subditi possunt, si secus fiat, & multâ agan-
tur acerbius. Non corrigenda armis Tyrannorum in-
solentia est (quod non nemo in Belgis laudat) si vel ma-
xime precibus non potuerit emendari.

16. Improbandus itaq; illorum hominum cona-
tus est, qui à Dominò suo comite Luphio Suevo dissidi-
dere & turbas movere in Germaniâ cœperunt propter
onera

620

onera, quibus gravari se nimium querebantur. Vici-
norum item, qui in Magistratum suum ob eandem
causam idem tentarunt, de quibus *Schleidanus in Com-*
ment. de statu relig. l. 4.

17. Quod de tributis diximus, id & de aliis rebus,
subdito à Magistratu impositis statuendum est, si scili-
cet temporalia concernant bona. Nullibi resistendum,
ubiq; a. præstanda obedientia est.

18. Atq; huc spectant opera militaria, quæ Ma-
gistratui subditus debet, sicuti necessitas Reipubl. po-
stulat. Quod si enim irruptione in Regnum factâ civi-
tates expugnet hostis, populet agros, cædes faciat, diri-
piat bona, nec templis parcatur aut infantum innocentia,
succurrendum utiq; Regi vel Principi erit, qui solus
repellere hostilem vim haud potest. Omnia enim
ubi agitur res, omnium opes conferendæ sunt. Nec ha-
benda ratio privati commodi est, ubi publicum peri-
clitatur.

19. Idq; ubi causa belligerandi manifestò justa est.
In tali enim causa subditi etiam sub heterodoxo magi-
stratu militare possunt ac debent adversus orthodoxum.
Illatam enim injuriam & publicè admissa delicta puni-
re licet in nostræ religionis etiam hominibus, tam na-
turæ, quam gentium juribus.

20. Quandoq; autem certum est & omnibus ob-
vium, injustam belli esse causam, injustum & finem, neq;
ad bellum offensivum neq; defensivum opitulari licet
Magistratibus suis. Omnia potius tormenta perferen-
da, quam ut scienter ad patrandum peccatum mortale
conferant operas. Quod notandum contra *Feudistam*
tit. 28. lib. 2. ubi adigit Vasallum ad jurandum seniorem
in bello defensivo, causa licet evidenter & notioriè in-
justa.

21. Non licebit autem judicare subditis de dubiis causis, sed defendendæ Magistratus ordinarii partes sunt, etiam si per vim occupati ab extraneo sint hoste. Quod si alio modo non poterant, rectè facient, si deserent occupantem, nec arma sua fortunasq; convertent adversus spoliatum Principem legitimumq; Magistratum. Non opitulandum enim hostibus Patriæ est, nec concedenduni, ut patres ejus concessâ divinitus potestate exuantur.

22. Progredimur ad ea, quæ sacra spectant & cultum Deo debitū. Cūm enim potestati etiam dispensare circa hæc ipsa liceat, necesse est exponere, in quantum parere in his subditus teneatur. Postulamus & hic loci obedientiam. Quæ enim circa aliorum jurium, puta belligandi, vectigaliū & tributa exigendi, exercitium & usum vallet obligatio, ea nec in hæc Majestatis parte cessare potest. Quando proinde Magistratus idoneos Ecclesiæ & Scholarum ministros de vitæ instrumentis necessariis prospicit, flagitosos removet, idololatricos cultq; abolet, & quæ circa verum DEI cultum restauranda veniunt, diligenter curat, obsequium suorum meritò meretur. Id enim agit, quod ad absolvenda ejus munia spectat.

23. Ad fidem autem & religionem si cogat suos, quam falsam in suâ conscientiâ existimat, quid tūm faciendum? parendum & præstanda & hic obedientia erit? Non sanè. Deo enim in talibus magis obedientum, quam hominibus. *Ex nihilo aliquid facere, futura scire & dominari conscientiis sibi reservavit Deus*, dicebat Stephanus Batorius Poloniæ Rex. Et laudatum sæpè, nunquam satis laudandum est Maximiliani II. dæterium: *Nullam esse tyrannidem intolerabiliorem, quam conscientiis dominari velle.*

24 Er-

624

24. Ergò armis resistendum? Neq; hoc licet. Ad
majestatis jura pertinet armorum exercitium, quomo-
do ergò Subditis, salvâ Majestate, iis utetur adversus
Magistratum? Manet Magistratus & à DEO ordinatus
quocunq; etiam modo abutatur concessâ sibi potestate.
Huic igitur qui resistit, ipsi autori hujus ordinationis
resistit. Quamobrem & primitiva Ecclesia jure capi-
tis supplicio affectum censuit civem illum Nicomedien-
sem, qui Diocletiani & Maximini edictum, contra Chri-
stianos promulgatum concerpserat, uti testatur *Euse-
bius l. 7. hist. Eccles. c. 5.* Et raro felices habuerunt suc-
cessus, qui insurgere ita contra Magistratum, & illicitis
armis defendere religionem voluerunt.

25. Preces piæ arma Ecclesiæ sunt; his utatur im-
punè subditus; his pondus inest ingens, & quod de solio
deturbavit non semel Tyrannos. *Ambrosius* adversus
Reginæ (Arianæ Justinæ) furorem non se manu defen-
sabat aut telo, sed jejuniis, continuatisq; vigiliis sub al-
tari positus defensorem sibi atq; Ecclesiæ parabat DE-
UM. Dumq; hoc in longum diversis machinis & oppu-
gnationibus *Justinia* moliretur, *Maximus* datis literis im-
pium protestatur inceptum, fidem DEI impugnari &
statuta catholica Ecclesiæ subrui & inter hæc appropin-
quare Italiam cœpit. Quo Justina comperto hoste si-
mul & impietatis conscientiâ urgente in fugam versa-
cum filio exilia, quæ DEI sacerdotibus præparabat, pri-
ma sortitur, quemadmodum refert *Ruffinus l. 2. c. 16.*

26. Ex quibus manifestum putamus, non posseda-
ri ullum casum, quo adversus supremum Magistratum
subdito arma capere liceat, patricidiiq; se obstringere
crimine eos, qui vel sicariâ manu trucident Imperian-

tes, sibiq; impositos Reges, vel sub juris & vindictæ ne-
scio cuius schemate aperto Marte eos invadant. Ut in
parendi necessitate in dati sunt subditi; ita judicandi
Magistratum jus sibi sumere non possunt, quod sibi De-
us unicè reservavit. Deo peccat Rex, qui & à DEO fo-
lo puniendus.

27. Id tamen querere hic lubet, num formam Reip.
semel constitutam liceat populo mutare? Qui affirma-
tivam defendunt sententiam, urgent libertatem populi,
penes quem jus sit & potestas regimur conferendi. Pu-
tant enim conjunctam hanc potestatem esse cum jure
mutandi collatum in alium regimen. Quā utendum
tūm sit, si degeneret Magistratus, nec ad præscriptam
normam aut placitum subditorum res administret.
Allegant exempla quoq; non raro factæ similis mutati-
onis. Quale & Rōmana præbet historia. *Habebant*
urbem Rōmam à principio Reges. Libertatem & consu-
latum L. Brutus instituit. Dictaturæ ad tempus sumeban-
tur: neq; Decemviralis potestas ultra biennium, neq; tri-
bunorum militum consulare jus diu valuit. Non Cinna,
non Sulla longa dominatio: & Pompeii Crassig; sententia
citò in Cæsarem; Lepidi atq; Antonii arma in Augustum cef-
sere: ait Tacitus. Quibus ecquid aliud nisi mutatum
Reipubl. Rom. statum innuit? Nec obscura sunt re-
centiora exempla, si ea nunc attineret proferre in lu-
cem.

28. Quanquam autem non negemus, populum,
quamdiu certo magistratui subjectus non est, habere
potestatem subjiciendi se, cui lubeat: id tamen vix
concedere possumus, manere penes populum illam li-
bertatem, factâ semel subjectione. Tūm enim adver-
sam u-

A
22

sa mutatio ista est officio & obsequio, quod exuere pro arbitrio populus haud potest, sicut ex anteā adductis potest constare. Pravitas Magistratus occasionem fortè non rarò tribuit multis deturbandi istum ; sed num jure quoq; factæ tales mutationes sint, probandum foret.

29. Ita in genere Subditorum officia deditus explicata: proximum foret nunc progredi ad singulas & Ecclesiasticorum & secularium functiones. Sed specialem ista requirunt & pleniorē pertractionem, cui hāc vice non est locus.

30. Divisionem quod spectat, frequentata illa est, in eminentiores & inferioris conditionis quando dispescunt politici. Ad illos referunt *nobiles*, genere & virtute tales; Literatos item, inter quos primum locum obtinent Theologi, secundum JCti, tertium Medici, quartum Philosophi, Oratores & Poetæ. Et tandem Milites uti Imperatores, Duces & præfecti exercitus æstimandi maximè sunt.

31. Est autem triplicis hujus ordinis magnus in Republ. usus. Non enim faciunt ad splendorem & Magnificentiam tantum, cui in Republ. sæpè permulatum tribuendum ; sed, quod maximum est, ad prudenter atq; feliciter administrandum imperium. Unde illud Platonis: *Tum demum salvas esse Respubl. si aut Philosophentur imperantes, aut imperent Philosophi.* Incidunt verò etiam tempora, ubi frustrà utimur pacis artibus, & ubi manu opus est prompta, Scipionis virtute; hinc militum gloria literis & artibus bonis æquiparata.

32. Inferioris sortis subditi rūfus suas habent classes & ordines. Ad primum Mercatores locantur & agrorum cultores. Ita enim sese habent horum operæ

ut iis ægrè carere Respubl. possit. Atq; Mercaturæ ter-
rà mariq; exercitæ debent omnino potentissimæ Resp.
& in iis opulentissimæ urbes (præprimis quæ mari ad-
jacent) suas opes. Agricultura honestissimus pariter
acquirendi modus est, & quæ alimentum omni Reip.
præbet necessarium. Delectati proin adeò rusticannis
operibus sunt Imperatores quoq;; ut non modò conce-
derent immunitates multas agricolis, sed ipsi quoq;
sceptra & diadema stivæ ac rutro postponerent. Hinc
Cicero: *Omnium rerum, quibus aliquid acquiritur, nihil*
est agriculturæ melius, nihil uberior, nihil dulcior, nihil ho-
mini libero dignius.

33. Secundum locum concedimus iis, qui viliora
tractant negotia, & quæ ad Rempubl. non simpliciter
necessaria sunt. Ubi itidem sunt, qui & liberaliora ex-
ercent artifacia ;uti Typographi, Pharmacopæi, Picto-
res, Aurifabri, Sculptores, Chirurgi, alii : & qui minus
liberaliora tractant. Quæ tamen vel honestiora sunt,
ut Pistores, Lanii, Sartores, Sutores, Pelliones, &c.
vel inhonestiora aut etiam ludicra; ut Histriones,
Pantomini, Saltatores &c. & qui sepeliendis defunctorum
corporibus locant operam, aut Magistratus in fa-
cinorosos sententiam exequuntur.

34. Ultimo loco decidimus quæstionem: *Utrum*
Vasallus ex Subditorum numero sit? Cujus negativa nobis
arridet. Dubium ex inscriptionis literarum & fori pari-
tate moventibus reponimus probantium rationum in-
firmitatem atq; insufficientiam. Quod enim Impera-
tor & Rex Vasallo quoq; scribit *dilecto & fidi* suo pro-
pter fidelitatis juramentum fieri solet, quod tamen ve-
ra subjectionis nota non est. Quod & dicendum ad
alterum est, quod de foro subdi is æquè ac Vasallis
communi profertur.

Huic, ne reliquum paginæ spatiū vacuū
relinquatur, consimiles quasdam adjicimus.

623

1. *An ii, qui clientelæ alterius sese subjiciunt, sint Subditi?* Quæstionis hujus negativam sententiam suadet clientelæ natura, quæ talis est, ut non subjectionem & Jurisdictionem, sed reverentiam introducat. Unde tritum illud verissimum: **Schus und Schirm bringt keine D**brigkeit mit sich / & clientes non **Schus Unterhanc** / sed **Schus und Schirm Verwandte** vocantur.

2. *An subditi sine consensu Domini territorialis alterius protectioni se submittere possint?* Hæc quæstio cum in A. B. tit. 15 & 16. negativè decidatur, nostrum est, ei assensum præbere. Quod eò libentiùs facimus, quò clariùs patet aliàs subditos reverentiam & obedientiam Magistratui debitam læsuros non tantùm, sed eidem etiam injuriā ac ignominiam esse ilæsuros, ac si is ejus potentia non esset, ut suos defendere possit. Multastamen hic dari exceptiones, non inficia simus.

3. *An Imperator Rom. Turcarum Sultano pensionem, attributum solvat?* Bodinus lib. 1. de Republ. c. 8. Imperatorem Rom. Turcarum tributarium vocans, facit, ut hanc quæstionem attingamus. Quantam verò toti imperio Rom. injuriā inferat, sciunt illi, quibus distinctio inter pensionem & tributum magis cognita est. Tributum enim dicente Scōnborn. lib. 5. pol. c. 10. præstant subditi in quandam superioritatis recognitionem. Pensionis præstatione nulla subjectione inducitur. Turcarum Sultano pensio mittitur, non quidem in servitutis auctoramentum, sed pacis fruendæ gratiâ.

4. Cùm igitur pensionem solvat, queritur, *An id circò fiat subditus ipsius?* Verum cum negativa sententia ex antecedentibus fluat, ulteriori explicationi supersedemus.

5. An

5. An dignitati Regis Bohemie quiequam detrahatur, quod sit
subditus & Vasallus Imperii Rom? Negativa idcirco placet, quod
consentientibus communiter Dd. servire Romano Imperio,
sit libertate potiri. Unde non obstante jure Vasalligio Ma-
jestatem regiam illibata m retineri posse statuit Braudlach in
Jurisp. publ. lib. 3. c. 2.

6. An Judei in numerum subditorum facilè sint recipiendi?
Sicuti populos hos à numero subitorum planè non arcemus;
ita eosdem non facilè, nec nisi summa adhibitâ cautione &
certis præscriptis conditionibus recipiendos esse putamus.
Aliàs si incommoditates ex eorum assumptione redundantes
consideramus, in sententiam laudatissimi Wirtenbergæ
Ducis descendere facilè possemus, dicentis: Wenn die ver-
fluchten Leute mir wölfen Geld voll auf geben, wölfte ich sie in mei-
nem Fürstenthum/weil sie an meinem Bruder und Erlöser Christo
Jesu tresslos worden/und öffentliche Zäuberer sind/nicht leiden.

7. An recepti tolerandi sint? Expulsos ex Christiano-
rum territoriis Judæos ad Turcas confluxisse, eosdemq; varias
belli machinas & alia Christianis nocitura docuisse, Camera-
rius auctore est. Unde etiam Turcarum Imperatorem Christia-
norum stoliditatem miratum fuisse idem scribit, quod tan-
tam Judeorum multitudinem in propriam perniciem expellere,
quām in emolumentum suum retinere maluerint. Propter hanc
& alias rationes, quæ apud Theologos pariter ac politicos
videri possunt, receptos tolerandos esse, asserimus.



Coll. diss. A. 131, misa 5